



centissimæ quidem sunt; quandoque etiam ultra, nunquam tamen insigniter, reflectuntur; & tales perstant in fructu. Styli adsunt gemelli, in raris individuis terni, quos etiam paucissimis in floribus quaternos conspexi. Unicus dum se stylus quandoque obtulit, semper tunc ille, egressus, non ex germinis centro, sed ad hujus centri latus, indicabat evidentissime alterius styli præternaturalem aliquem vitiosumque defectum. Fructus fovet semina duo, vel tria, aut quatuor, quot nempe styli fuerunt in flore; variaz hinc pro diverso numero suo figuræ; dum in medio fructu, absque ulla interposita pulpa, lateribus suis planis sese mutuo contingant. In fructibus dispermis sunt semiglobosa, sive globi reserunt dissecti ambo hemisphærica. Tetraspermorum semina foris convexa sunt, intus ex duobus lateribus planis in angulum concurrentia. Tria semina si sint, tunc unum reliquis binis opponitur, duplo majus, dimidiumque fructum occupans; simile dispermi; dum reliqua figuram tetraspermorum habent.

At vero in *Cratægo monogyna* folia sunt glaberrima magisque nitentia; tum etiam pleraque valde profunde secta in lobos quinque vel tres acutos & aut integerrimos aut ad summitatem paucis dentibus serratos. Pedunculi nullis villis pubescunt. Laciniaz calycis semper cum in flore tum in fructu ita reflectuntur totæ quantæ, ut ad germen fructumque arcte apprimantur postica sui parte. Stylus unicus adest constantissime, ortus e centro germinis, nunquam mihi variare visus in ullo flore; hinc etiam fructus gestat semen æque constanter unicum, idemque subrotundum, nec ullo latere applanatum. Sive igitur offerat quis alterutrum florem, sive folium aut fructum, momento sine hæsitacione ulla speciem dignoscemus. Prima tabulæ figura sistit *Cratægi monogynæ* ramulum copiosius florentem aliumque fructescens; fructum immaturum, Julio carptum, quando figura magis ovata gaudet, quæ in maturo (nec tamen in omnibus) magis rotundari solet, & hinc evadere *Oxyacanthæ* simillima; semen integrum; idem transversim dissectum; tum quoque per suturas fissum longitudinaliter cum in hærente nucleo integro; nucleumque tandem exemptum. In altera figura ramulus exhibetur *Cratægi Oxyacanthæ* parce florens, (nam ita ludere florum numero stirps utraque solet,) idemque fructifer; tum fructus immaturus, Julio etiam carptus ad latus prioris; semen dispermi; idemque cum sectum transversim, tum fissum per suturas longitudinales cum nucleo integro.

## TABULA DUCENTESIMA NONAGESIMA TERTIA.

### HIERACIUM STIPITATUM.

**P**lanta pedalis vel altior in pratis montanis editis crescit, flores Junio, semina matura Julio ferens. Ex radice perenni, fescunciali, terete, præmorsa, obliqua, calamus plus minus crassa, pallide fuscescente, & fibrillis aucta, promit annuatim caulem solitarium, teretem, substriatum, fistulosum, inferne glabrum, superne raris atrisque pilis hispidulum; aut unico folio in decursu munitum, aut plane aphyllum, in duos tres quatuorve pedunculos unifloros erectosque divisum, quibus singulis folium parvum ceu stipula subjacet. Folia radicalia pauca, ex figura obverse ovata & mucronata paulatim longè attenuata, tenuia, utrinque glaberrima, rariterque dentata, facie læte virent, dorso ex viridi pallent. Caulinum, si quod adest, oblongo-lanceolatum, sessile, acuminatum, subdentatum, pro varia insertionis altitudine, prouti ibidem caulis est, modo glaberrimum est, modo hispidum. Calycis subæqualis & atrovirentis squamæ sunt acuminatæ pilisque nigris dense hirsutæ. Corollulæ luteæ & quinquedenticulatæ. Antheræ fuscæ. Calyx in fructu reflectitur. Receptaculum nudum punctatum & planum semina sustinet oblonga, obtusa, fuscescentia, submuricata, coronataque calyculo pentaphyllo & pappo stipitato simplice. Cum generibus affinibus plura habet communia; ab *Hieracio* secedit stipite pappi; ut singulare genus constituere posse videatur.

